



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

focium; convalescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium æternum: est ergo nobis Deus, unus, trinus, omnia in Christo; & per ipsum dedit nobis omnia, ut sit sola Trinitas Divina omnia in omnibus.

§. III.

Sic tota Trinitas Divina mundum immundum dilexit; ut Filium Dei unigenitum omnibus dederit, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Verbum enim Incarnatum Deus-homo solus Emmanuel nobiscum Deus, nostram carnem de Virginis Immaculatæ utero assumptam, arctissimo vinculo Divinæ suæ Personæ, copulavit in unitatem ejusdem compositi. Non enim, Caro, Anima, & Divinitas, Personâ Verbi unius simul subsistentes, duo sunt composita, aut duo Christi; sed unus est Christus, non conversione humanitatis in Deum, sed assumptione hypostaticâ in Verbum: non confusione substantiarum, quæ semper

manent distinctæ realiter, & differen-
 tes substantialiter, sed unitate Perso-
 næ Divinæ, Verbi Increati, & In-
 carnati, quæ Persona Divina unica est
 in Christo. Ideò JESUS-CHRISTUS
 nobis consanguineus, & cognatus,
 imò frater fieri dignatus est: ille nos
 Deo, uni, trino, confociavit, ac
 Sanctissimæ Triadis affines facit. Ipse
 ergo est primogenitus prædestinato-
 rum ad gloriam, ipse est caput vivum,
 & vivificans omnis Ecclesiæ Sancto-
 rum in cœlo & in terrâ: ipse est Rex
 omnipotens, sanctus, sapiens, salvator:
 ipse est salus, justitia, sanctificatio, sa-
 pientia, virtus, & exultatio nostra. Ip-
 se est auctor gratiæ, & consumma-
 tor gloriæ nostræ; honor noster, amor,
 Christus spei nostræ, deliciæ cor-
 dium, gaudium & omne jubilum no-
 strum. Thesaurus omnium bonorum
 desiderabilium est JESUS, in quo
 omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ
 Dei, & omnis plenitudo divinitatis in-
 habitat corporaliter ut loquitur Apo-
 stolus, id est, residet substantialiter,
 ut de plenitudine ejus nos omnes acci-
 piamus, gratiam pro gratiâ, inquit,

dilectus Discipulus. Nimirum Incarnati Verbi Myſterium eſt perfectiſſimum divinæ Triadis compendium, & ſumma communicatio divinitatis ad extra in actu primo, ut loquitur Theologia Catholica; ita eſt omnino, Sanctiſſima Trinitas unus Deus, in Chriſto JESU Deo-Homine, perfectiſſimo modo in Æternum reſidet, & per ipſum, hominibus præſertim renatis in Chriſto, multifariam multisque modis ſe totam communicat.

NUMERUS QUARTUS.

Scripturarum, Prophetarum, Apoſtolorum, Angelorum, Sanctorum Patrum Teſtimonia de Chriſto, immò ipſiusmet Verbi Incarnati, ſe Deum revelantis, atque totius Trinitatis Divinitatem Chriſti manifeſtantis.

§. I.

VT magnum hoc myſterium abſconditum, ſapientibus hujus mundi, fidelibus Chriſti, clarius illuſtretur, ſcrutemur & Scripturas,